



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

4. Considerationes de generali iudicio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

4. Tentationes, malæ vitæ pœnitudines, ac Dei judiciorum metus, quæ illam comitantur.

5. Denique felicitatem aut infelicitatem, quæ illam subsequuntur, quæ quidem incerta cum sint, animam in desperationem penè adducunt.

6. Reflectes te supra negligentiam vitæ præteritæ, emendationisque propositum concipies, atque ad eum modum vivere imposte-
rum statues, ut semper ad moriendum paratus existas.

Unum alterumve horum punctorum integræ meditationi materiam omnino sufficientem præbere poterit.

4. *Considerationes de generali
judicio.*

Sol obscurabitur & Luna non dabit lumen suum & stella cadent de caelo & virtutes caelorum commovebuntur.
Matth. 24, 29.

CONsiderabis terribilia signa, quæ ipsum præcedent, prout Christus ea prædixit in Evangelio.

2. Resurrectionem universalem omnium hominum ab Adamo ad ultimum usque posterorum illius.

3. Congregationem omnium creaturarum; omniumque nationum ante tribunal Christi sonitu tubæ factam citationem,

4. Distinctam conscientiarum omnium, omniumque, quæ unquam patrata fuerint, peccatorum, simul cum omnibus suis circumstantiis manifestationem.

5. Rigorem ac severitatem judicis, qui nullius, nisi idipse promeritus fuerit, miserebitur.

6. De-

6. Definitivam ac peremptoriam sententiam iudicis, à qua non liceat appellare, quæque eodem statim momento executioni mandetur, ubi, iustis in paradysum receptis, peccatores in inferni abyssum præcipites demergentur.

*Et tunc
parebit signum filii
hominis,
& tunc
plangent
omnibus
terra,
& videbunt
filium
hominis
venientem
in nubibus
cæli cum
virtute
multa &
Majestate.
Ibid. v. 30.*

7. Tandem supra vitam tuam præteritam, quantum necesse fuerit, reflectes, fortiterque illam emendare tibi propones, eo modo, quo in aliis materiis fieri debere jam monuimus.

5. Considerationes de Inferno.

I. **O**B oculos tibi propones terribilem locum istum, qui est vasta quædam concavitas in centro terræ sita, plena flammis, formidabili quadam ac terribili activitate damnatorum corpora adurentibus, nec tamen consummentibus.

2. Considerabis alias pœnas sensibiles: singuli enim illic sensus sua peculiaria sustinebunt tormenta, præter vermem conscientiæ, quæ erit æterna quædam pœnitudo de cæli amissione, & continuusque de admissio peccato remorsus.

3. Peculiaris oculi horribili terrebuntur visione dæmonum; aures fragorem audient, terribiliumque plurimarum vocum confusio- nem, sicut & blasphemias, clamores, ululatus &c. odoratus foetores percipiet horrendos; Lingua potabitur felle omnibusque quam maxime abominabilibus venenis.

4. Istarum pœnarum æternitatem. *Quia vermis eorum non moritur & ignis eorum non* *Marc. 9.*
extinguitur, inquit Christus Salvator noster. 43.